

ctum erit, licet in alium contractum res non transeat, nec proprium habeat nomen, tamen, quum subsit causa, ex eo, quod eleganter ARISTO CELSO respondit, hoc *συνάλλαγμα*, id est, contractus, erit, ex eoque nascetur civilis obligatio ^{cc)}). Nam dum dedit quis alteri quid, ut is vicissim quid praestet, aut fecit ideo, ut alter vicissim obligetur, causa adest, non nuda pactio, quia ibi res tradita est ^{dd)}, hic vero conventio in se negotium aliquod habet ^{ee)}. Sed nec huiusmodi contractus, quo quid contra praestatur, depositum dici potest ^{ff)}. Praestari igitur sequestro aut factum potest, aut res dari. Si factum contra praestatur, quum et ipse sequester factum praestet, adeoque ex utraque parte in faciendo consistat obligatio, est ille contractus ex genere eorum, quae a doctoribus sub generali adpellatione: *facio, ut facias* comprehenduntur, et perinde erit, siue ex parte sequestris, siue ab altera initium fiat. Sin vero convenit, ut res detur sequestro pro sua opera, quae tamen merces non sit, inspiciendum est, quid prius praestitum sit. Nam, si contractus a sequestro primum adimpletur, quum is factum praestet, referri debet ad id genus, quod dicunt doctores: *facio, ut des*. Sin contra res primum detur, ut sequestratio suscipiatur, incidit in id genus, quod *do, ut facias* in scholis dici solet.

§. VIII.

cc) cit. c. 7. §. sed etsi 2. D. d. t.

dd) cit. c. 7. §. 2. D. de pactis.

ee) c. solent. 15. D. de praescriptis verbis.

ff) vid. c. depositum est 1. §. si quis seruum 9. D. depositi.